86. De hoc puncto exstat lex 2. ff. de privatis delictis, quæ sic habet. [Nunquam plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur. Neque enim delictum ob aliud delictũ minuit pœnam. Qui igitur hominẽ subripuit, & occidit, quia surripuit, furti, quia occidit, Aquiliâ tenetur, nẽque altera harum actionum alteram consumit. Idem dicendum, si rapuit & occidit, nam & vi bonorum raptorum, & Aquiliâ tenebitur.] Et lex 32. §. 1. *ff. ad L. Aquil.* [Si idem eundem servum vulneraverit, postea deinde etiam occiderit: tenebitur & de vulnerato, & de occiso: duo enim sunt delicta, aliter atque si quis uno in petu pluribus vulneribus aliquem occiderit, unc enim unica erit actio de occiso.] Ex quibus juribus

87. Colligitur I. Ad hoc ut vulneratio & occisio censeantur duo delicta in Jure, necessarium esse, ut fiant ex intervallo.

Colligitur II. Plures percussiones uno impetu seu unâ rixâ illatas, etiamsi percussus mortem non obierit, unicum delictum esse censendum, non plura, ut contra Bartolum notat Covarr.

Colligitur III. Quoties vel simul, vel ex iteratione criminis, sive statim sive ex intervallo, distincta & diversa crimina oriuntur, non ut unicum, sed ut plura crimina punienda esse; etiamsi repetitio fiat ad eundem effectum, quod etiam est contra Bart.

Colligitur IV. Si ejusdem actûs & criminis eodem impetu & continuatione iteratio fiat, unicum tantùm crimen censendum esse.

88. Colligitur IV. Contra eundem Bart. si ejusdem criminis eodem impetu & continuatione iteratio fiat, v.g. percussionum, vulnerationum, unicum tantùm crimen censendum esse ad publicam vindictam, quamvis graviùs puniendum, etiamsi reus non intendisset occisionem secutam; quia]Ctus non facit vim in intentione occisionis. Sic percutiens Clericum quinquies vel sæpiùs uno impetu, non nisi unâ canonicâ pœnâ afficitur, & unâ sententiâ excommunicationis feritur. Sic si Statutum statueret suspendium in furem reum trium furtorum, non comprehenderet illum, qui uno impetu & eâdem occasione tribus attrectationibus ttibus diversis dominis tres diversas res auferret: quia mens statuti esset punire consuetudinem furandi, quæ in tali casu non appareret, ut cum aliis tradit Covarr. lo. cit.

89. Colligitur V. Si ante punitionem primi actûs ex intervallo actus iteretur circa eandem personam, unâ quidem pœnâ sed auctiore puniendum reum, & sic quoad publicam vindictam fore unum crimen. Exemplum. Si quis in eadem lite ex intervallo sæpius producat testes corruptos, ad finem victoriæ. Secùs si post punitionem primi actûs, iterum produceret falsos testes. Quod autem dicit Covarruvias, etiam unicâ pœnâ puniendum, qui sæpius ex intervallo produceret falsos testes contra eundem quidem, sed ad diversum effectum, mihi dubium est, & magis propendeo in sententiam Bartoli, volentis pœnam esse multiplicandam.

90. Dubium est, quomodo sit intelligenda glossa in legem *vulgariũ. ff. de furtis.* quæ licèt dixerit in specie, cùm quis alienam uxorem pluries cognoverit continuatione quadam, plura quidem videri adulteria, asserit tamen unicâ tantùm pœnâ illam continuationem puniendam. Bartolus docet, hoc ideo à glossa dictum esse, quòd adulterium non possit pluries puniri, cùm puniatur pœnâ mortis. Verùm, hoc acutè rejicit Covarruv. Nam quando condita est illa lex, nondum erat statuta pœna mortis in adulterum. ergo non potuit hæc esse mens glossæ. Communissima ergo sententia, teste eodem Covarr. tenet, tunc illa plura adulteria propter continuationem unicâ pœnâ, etiamsi hæc pecuniaria esset, punienda esse, quamvis cum aliquo augmento.

De Cumulatione pœnarum ob cumulationem delictorum, iterum agam prope finem hujus tomi.

CA-

CAPVT II.

DE DELICTORVM SPECIEBVS, EORVMQVE POENIS,

Ordine Alphabetico discussis.

Quæ alii DD. crimina in specie cum suis pœnis sine ordine tractant, placuit ordine Alphabetico tractare, nam omnis alius ordo est difficilis & dubius, v.g. Si quis velet secundùm gradum atrocitatis aut gravitatis procedere, vel secundùm majorem aut minorem eorundem similitudinem, prout aliqui minùs feliciter attentârunt.



Abigeatus.

SUMMARIUM.

Abigei quinam in Jure dicantur. 91.
Quænam pœna Abigeorum. 92.
Qui è stabulo abigunt pecus domitum, pleniùs coercentur. eod.
Qui animalia domestica minora, arbitrariè puniuntur. eod.
Abigeatus per se non est publici Judicii. 93.
Pœna receptatorum abigeorum. eod.

91. DE Abigeis exstat titulus ff. 14. libri 47. & in Codie 37. lib. 9.

Abigei dicuntur in Jure, qui pecora ex pascuis vel armentis subtrahunt, vel ex stabulis, & sic deprædandi & abigendi quodammodo artem profitentur. Unde, qui ovem errantem vel equum in solitudine hærentem abducit, animo retinendi, etsi fur sit, abigeus tamen necdum est, ut habetur totidem propè verbis *l.* 1. §. 1. *ff. h. tit.* Quoad numerum verò sic statuitur l. 3. [Oves pro numero abactorum aut furem aut abigeum faciunt: quidam decem oves gregem putaverunt: porcos etiam quinque vel quatuor abactos, equum, bovem vel unum abigeatûs crimen facere.] & §. 2. *Qui sæpiùs abegerunt, licèt semper unum vel alterum pecus surripuerint, tamen abigei sunt.* nempe quia tales censentur professionem hujus artis facere.

92. De pœna abigeorum sic statuitur *l.* 1. *ff. h. t.* [De abigeis puniendis ità D. Hadr. consilio Beticæ rescripsit. Abigei cùm durissimè puniuntur, ad gladium damnari solent. puniuntur autem durissimè non ubique, sed ubi frequentiùs est id genus maleficii. alioquin & in opus, & nonnunquam temporatium dantur.] Ratio est, quia frequentia delicti debet emendari medio magis absterrente.

Cujacius, more suo, hîc singulatem intellectum illius verbi *ad gladium* comminiscitur, quasi non sit intelligenda decapitatio, sed Ludus gladiatorius; sed non est audiendus.

Qui è stabulo abigunt domitum pecus, pleniùs coercentur, ut habetur *in l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* ubi nota, textum aliter legi ab Ant. Perez. qui sic scribit. *Leniùs etiam coercentur, qui è stabulo abigunt.* prout ex græca versione reponit Cujacius. Sed rectiùs retinent alii lectionem. *pleniùs.* nam qui à stabulo abigunt pecus, atrociùs delinquunt, quàm si è sylva abigant, cùm habeat adjunctam violentam irruptionem, magisque noxium domino.

Qui animalia minora domestica & cicura abigunt, arbitratiè puniuntur, ut anseres, anates, gallinas &c. ut tradit Damhouderus. sed in hoc consuetudo attendenda; qualis est in Belgio, ceste

teste Perez, ubi abigei suspendio puniuntur: & hoc fortè ideo, quia cum armis aggrediuntur delictum, quæ ratio insinuatur in lege 2. *ff. h. t.*

93. Crimen hoc per se non esse publici Judicii, habetur in lege 2. & ratio redditur, quia furtum potiùs est. Si actio civiliter intentetur, non est opus inscriptione, & abactor punitur pro delicti qualitate, vel in duplum, vel in quadruplum: si verò extra ordinem accusatur, observanda sunt, quæ in extraordinariis Judiciis circa privata delicta debent observari de Jure, vel consuetudine, vel peculiari statuto.

Receptores abigeorum, quâ pœnâ plecti debeant, ità cavetur, ut extra terram Italiæ decem annis relegentur *l. 3. §. 3. ff. h. t.*

Abortio, seu Abortûs procuratio, vel Sterilitatis.

SVMMARIVM.

A Bigens dolo fœtum animatum, homicidii reus est ex L. Corn. 94.
Quod tempus observandum, ut judicetur fœtus animatus. eod.
Abigens fœtum inanimatum, punitur pœnâ extraordinariâ. 95.
Debet certò constare, Medicorum judicio, de dolo. 96.

DE hoc delicto aliqui tractant, cùm agunt de Parricidis, aliqui, cùm agunt de Infanticidio. Placet hæc omnia suo Alphabeti ordine tractare.

94. Distinguendum est inter fœtum animatum, & necdum animatum. Et

Dicendum I. Qui partum animatum dolo abigit, sive sit ipsa mater, sive alius quicunque, pœnâ legis Corneliæ tanquam homicida tenetur, ut habet valde communis sententia, quam ex Theologis etiam tradit P. Molina *tr. 3. d. 27. n. 2.* (qui pulchrè advertit, quòd tale homicidium respectu infantis sit proditorium: & ut tale puniendum esset, sed ad hoc non attenditur. Deinde si à matre causatur, erit parricidium,) contra non paucos, qui referuntur à Berlichio *concl. 8.* Probatur maximè ex Ord. Carol. a. 133. ubi statuitur: si quis dolo malo gravidæ mulieris fœtum animatum quocunque modo abigat, mortis pœnâ puniendus est, mas quidem gladio, fœmina verò aquâ. Idem statuitur de eo, qui virum ineptum hymenæo reddiderit, sterilemque fœminam effecerit: quod fit aut per fascinationem, vel sortilegium, quando in viris & mulieribus generandi vim impedit, vel efficitur, ne mulier concipere possit, vel gravida parere, vel lac nutricis desiccat, aut alia similia maleficia in corpore per cibum aut potum, vel extra corpus conficit. Quæ ordinatio quoad primam partem est conformis Juri communi. *l. 38. §. 5. ff. de pœnis.* [Qui abortionis aut amatorium poculum dant &c. quodsi eo mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur.] Atqui fœtus animatus jam est homo. *l. 39. ff. eod.* ibi. *quòd ab hæredibus secundis acceptâ pecuniâ partum sibi medicamentis ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam.* Quoad secundam partem est conformis Juri Canonico *cap. 5. de homicidio.* [Si aliquis causâ explêdæ libidinis, vel odii meditatione homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida teneatur.] Omitto referre alios textus, qui omnes reciperent aliam interpretationem.

Porrò, quia magna est inter Medicos variatio circa tempus quo fœtus censeatur jam animatus, videtur illud tempus observandum, de quo apud omnes certum est: & ob hanc, nisi fallor, causam in Jure Saxonico statutum est, ad hoc ut pœna capitalis locum habeat, debere dimidium tempus uterum gerentium elapsum esse. Deinde in dubio præsumitur fœtus inanimatus ex communiore sententia, quam aliis relatis tradit Berlichius n. 23.

95. Dicendum II. Si abigatur fœtus necdum animatus, extraordinariâ pœnâ punitur abigens. Et Ordinatione Carolinâ arbitrio Judicis, adhibito consilio peritorum, permittitur. Hujusmodi pœna potest esse relegatio, vel exilium. Et aliqui textus Juris communis accipiendi sunt de fœtu inanimato, quando solam extraordinariam pœnam infligunt.

96. Prædictæ conclusiones intelligendæ sunt, quando certò constat, Medicorum judicio, abortum processisse unicè ex causa dolo data. Nam in dubio mitior esset pœna infligenda, ob delicti quoad effectum incertitudinem. Adhuc mitiùs puniendus esset solus conatus effectu non secuto, quæ omnia deducuntur ex regulis generalibus, quæ in progressu sæpius inculcabuntur.

Adul-

Adulterium.

SVMMARIVM.

QVa pœnâ afficiatur Adulter & Adultera. 97. & seq.
Quomodo defendi possint leges, dantes facultatem occidendi adulterum, remissivè. 99.
Quanto tempore præscribatur. 100.
An Jure Civili censeatur adulterium, si conjugatus peccet cum soluta. 101.
An tanquam adulter puniendus corrumpens sponsam alienam, & an sponsa possit accusari de adulterio 102. & seqq.
Quis possit accusare adulterium. 105.
An Vxor possit accusare adulterium mariti. 106.
An & qualis ordo servandus sit in accusandis reis adulterij. 107.
Quænam bona lucretur maritus per uxoris adulterium, & econtra. 108.
An vidua perdat dotem propter stuprum in viduitate commissum. 109.
De qua dote intelligenda sint. 110.
An, si maritus non accusavit adulteram, eo defuncto possint hæredes. 111.
An maritus lucretur dotem, consentiens tacitè vel expressè in adulterium. 112.
Quidsi conscius adulterij exegit debitum conjugale. 113.
An post separationem teneatur alere adulteram. eod.
An committatur adulterium accusabile cum muliere maritata quidem, sed se passim prostituente 114.
Intellectus legis 22. C. ad L. Jul. de adult. 115.
An ille puniendus sit aut punari possit ultimo supplicio, qui adulterium judicialiter confessus est, complex aut negat, vel se subducit. 116. & seq.
Referuntur indicia, quæ possunt supplere defectum confessionis complicis. 118.
An, si uni ex speciali causa remittatur ordinaria pœna, censeatur etiam alteri remissa. 119.
An intuitu dignitatis & Nobilitatis mitiganda sit pœna Ordinaria. 120.
Explicatur Brocardicum axioma. 121.
Quomodo Clerici in foro Ecclesiastico sint puniendi pro adulterio. 122.
An minoribus ob adulterium commissum possit infligi pœna ordinaria. 123.
An ob multiplicatum adulterium sit exasperanda pœna ultimi supplicij. 124.

DE hoc exstat titulus ff. 5. lib. 48. & in Cod. 9. lib. 9. & in Decretalib. 16. lib. 5. De quo egi in to. 1. de Jure privat. *tract. 2. à n. 699.* occasione restitutionis faciendæ ob prolem ex adulterio susceptam: ubi obiter plures quæstiones expedivi, quæ ibi videri possunt. Nunc autem aliqua addenda, prætermissis illis, quæ loco citato sufficienter exposita sunt, quò lectorem remitto.

97. Quæritur I. Quâ pœnâ afficiatur Adulter & Adultera. Et quidem in lege antiqua fuisse pœnam lapidationis, constat ex pluribus S. Scripturæ locis. Sed in nova lege aliæ pœnæ sunt substitutæ. Et quidem Jure Canonico, si maritus uxorem recipere nolit, in monasterio collocatur. *c. 19. de conversione conjugatorum.* [Mulieres verò quæ relicto maritali thoro lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum à te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam pœnitentiam ibi agant.] Simile quid constitutum est circa Clericum in *can. 10. dist. 81.* [Si quis Clericus adulterâsse aut confessus, aut convictus fuerit, depositus ab officio, communione concessâ, in monasterio toto vitæ suæ tempore detrudatur.] Pœna etiam divortii locum habet, si innocens nolit cum delinquente cohabitare, quod illi Jure conceditur. *cap. 4. de divort.* ibi. [Respondemus, quòd si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, nisi constaret, ipsum cum alia adulterium commisisse.]

98. Quæ Jure Civili olim pœna fuerit, non est operæ pretium curiosiùs investigare, cùm sæpius variarum sit, & nec Interpretes conveniant, & in Imperio habeamus Ordinationem Criminalem Caroli V. a. 120. statuentem pœnam Capitalem, conformiter Sanctioni Constantini & Justiniani, nisi quòd sustulerit discrimen inter adulterum & adulteram, cùm Justinianus cum adultera mitiùs egerit, contentus si virgis cæsa in Monasterium detruderetur. Quæ verò specialiter Jure Bavarico sunt circa adulteria constituta, retuli loco citato n. 705. ubi, si lubet, videri possunt. Quibus nunc addo Authenticam C. h. t. quæ sic habet. [Si quis ei, quem suspectum habet de sua uxore, ter in scriptis denuntiaverit sub præsentia trium testium fidedignorum, & post invenerit eum convenientem uxori suæ in domo sua vel uxoris, vel adulteri, vel in popinis, aut in suburbanis, sine periculo eum perimat. Si alibi inveniat, tribus testibus convocatis tradat eum Judici, qui nullâ aliâ ratione quæsitâ habet puniendi licentiam: &c.]

99. Quæritur II. Quomodo defendi possint leges Civiles, pronuntiantes, posse impunè à marito occidi adulterum cum sua uxore deprehensum, si sit persona vilis & infamis, & posse à patre occidi adulterum cum filia sua nupta &c. si tamen utrumque occidat in continenti. & similes aliæ. Quam quæstionem ad longum disputu-

disputavi loco cit. à n. 713. quæ hîc non vacat repetere.

100. Quæritur III. Quanto tempore hoc delictum præscribatur, ut ampliùs accusari non possit. Hoc expedivi cap. præced. *controv.* 7.

101. Quæritur IV. An Jure Civili & communi censeatur adulterium, si conjugatus peccet cum soluta. Censeo hanc quæstionem hodie inutilem esse, postquam & huic actui pœna constituta est, (de qua videri potest Carpzovius 1. 2. *q.* 53. *à n.* 53. ubi vult, non obstante Carolinâ, talem adulterum non pœnâ gladii sed virgarum puniendum, fœminam autem pœnâ arbitrariâ.) quidquid sit de modo loquendi, nam in foro Canonico & conscientiæ est reverâ adulterium, *c. nemo. ca.* 32. *q.* 4. [Nemo blandiatur sibi de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro quæ ab uxore debetur castimonia. Quidquid in ea, quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii crimine damnatur.] In Jure civili *l.* 225. *ff. de V. S.* adulter ille solus habetur, qui alienam matremfamilias corrupit. Ratio etiam speciosa hujus rigidioris acceptionis desumitur ex seminis sanguinisque confusione, & inde consequente ptolis incertitudine: ob quam causam major desiderabatur in uxore castitas, & vir uxoris adulterium coërcebat, uxor verò ne quidem de violato suo matrimonio queri poterat, ut habetur disertè *lege* 1. *C. ad L. Jul. de adult.*

102. Quæritur V. An tanquam adulter puniendus veniat, qui corrumpit Sponsam alienam, & an Sponsa possit accusari de adulterio. Distinguendum est inter Sponsam de præsenti, cujus matrimonium est ratum, sed non consummatum, & inter Sponsam de futuro, hoc est, quæ vi sponsaliorum obligata est contrahere cum sponso matrimonium. De priore non debet esse controversia, quia reverâ jam est uxor, & ideo violat thorum mariti, qui talem violat, & illa non servat fidem conjugalem.

De Sponsa de futuro non defuerunt, qui putaverint cum tali etiam adulterii crimen committi, & ut tale puniendum esse. Ità Farinacius *p.* 4. *tit.* 16. *q.* 141. *n.* 52. *v. sed etiam.* Berlichius *n.* 144. Sed omnino negandum est. quia non est talis copula alieni thori violatio, quæ est definitio adulterii, tradita à Gelasio Papa, & D. Thomâ 2. 2. *q.* 154. *ar.* 8. *in C.* Accedit Jus Civile l. 6. ff. h. t. ibi. *Sed propriè adulterium in nuptam committitur.*

103. Objiciunt I. Ex lege 13. ff. h. t. ubi Impp. rescripserunt, *etiam in Sponsam hoc idem vindicandum, quia nec matrimonium qualecunque, nec NB. spem matrimonii violare permittitur.* R. In hac lege plùs non dici, quàm quòd tale delictum possit vindicari à sponso, ob atrocem injuriam quam patitur, sed non dicitur, esse puniendum tanquam adulterium, sed tanquam stuprum, ut manifestè colligitur ex §. 8. ejusdem legis. [Si minor duodecim annis in domum deducta adulterium commiserit, mox apud eum ætatem excesserit, cæperitque esse uxor, non poterit Jure viri accusari ex eo adulterio, quod ante ætatem nupta commisit, sed quasi sponsa poterit accusari.] Berlichius tamen putat esse severiùs quàm stuprum, leniùs tamen quàm adulterium puniendum.

104. Objiciunt II. Ex lege 7. C. h. t. [Propter violatam virginem adultam, qui postea maritus esse cæpit, accusator justus non est, & ideo Jure mariti crimen exercere non potest, nisi puella violata Sponsa ejus fuerit.] R. Hanc legem vel loqui de sponsa de præsenti; vel si loquitur de sponsa de futuro, (quod probabilius est) tunc quidem agere potest, non Jure mariti, quia maritus non fuit tempore delicti, sed Jure sponsi, quod in lege subintelligitur: quæ responsio confirmatur ex lege 11. §. 7. *ff. h. t.* ubi dicitur: [Novam rem instruere accusatorem, qui adulterii crimen desiderat objicere propter hoc tantùm, quòd priori sibi desponsata puella à patre alii in matrimonium fuerit tradita.]

105. Quæritur VI. Quis possit accusare adulterium. R. Antiquo Jure omnibus præferebatur maritus, & secundo loco pater adulteræ, deinde alii propinqui, illis cessantibus, denique etiam extranei. Et hoc sensu erat hoc Judicium & delictum publicum. Jure Codicis facta est restrictio ad certas personas, & sic quoad hunc effectum desiit esse publicum, quamvis quoad alios effectus, quos suprà enumeravimus agentes de divisione delictorum in Publica & Privata, adhuc censeatur esse Judicium publicum, ut etiam ibidem dixi. & quidem maritus per se loquendo præfertur cæteris. ità quidem, ut si Jure mariti agat, gaudeat certis prærogativis, quæ habentur in lege 30. *C. h. t.* [Quamvis adulterii crimen inter publica referatur, quorum delatio in commune omnibus sine aliqua legis interpretatione conceditur: tamen ne volentibus temerè liceat fædare connubia, proximis, necessariisque personis solummodo placet deferri copiam accusandi: hoc est, patri, fratri, nec non patruo & avunculo, quos verus dolor ad accusationem impellit. Sed etiam his personis legem imponimus, ut crimen abolitione, (si voluerint) compescant. Imprimis maritum genialis thori vindicem esse oportet; cui quidem ex suspicione ream conjugem facere licet: vel eam, si tantùm suspicatur, penes se retinere non prohibetur: nec inscriptionis vinculo contineri, cùm Jure mariti accusaret, veteres retro Principes annuerunt. Extraneos autem procul arceri ab accusatione censemus.] De sexaginta diebus utilibus datis marito ad accusandum Jure mariti, suprà dictum est *de præscript. delictorum.*

Dices. Si maritus potest accusare ex mera suspicione, datur illi ansa calumniandi in magnum uxoris & aliorum præjudicium. R. Non quamcunque levem & temerariam suspicionem sufficere, sed fundatam in signis raro fallentibus, alioquin pœnam temerè accusantis non evitaret, quia calumniator esset. *l.* 14. §. *fin. ff. h. t. Jure mariti qui accusant, calumniæ periculum non evitant.* & *l.* 30. *Pater sine periculo calumniæ non potest agere.*

106. Quæritur VII. An Uxor possit accusare adulterium mariti. R. Negativè de Jure communi. *l.* 1. *C. h. t.* [Publico Judicio non habere mulieres adulterii accusationem, quamvis de matrimonio suo violato quæri velint, lex Julia declarat: quæ cùm masculis Jure mariti accusandi facultatem detulisset, non idem fœminis privilegium detulit.] Dixi *Jure communi.* Nam per Ord. Crim. Carol. hoc etiam mulieri conceditur. Potest etiam agere ad thori separationem, dotis suæ restitutionem, & lucrum contradotis, ut alibi declaratum est, & dicetur statim quæsito 9.

107. Quæritur VIII. An æqualis ordo servàdus sit in accusàdis reis adulterii, hoc est, adulteri, & adulteræ, quandoquidẽ Jus civile non permittit utrumq; simul ab eodẽ accusari. *l.* 8. *C. h. t.* [Reos adulterij duos simul marem & fœminam ex eadem causa fieri, lex Julia de pudicitia vetat: sed ordine peragi utrosque licet.] R. Primo loco esse accusandum adulterum, à cujus victoria pendet absolutio mulieris, non tamen ab illius condemnatione pendet condemnatio mulieris. Nam viro absoluto mulier ampliùs accusari non potest; illo tamen condemnato, non hoc ipso mulier est condemnata, sed se defendere potest. Primum habetur in lege 2. *pr. ff. h. t.* [Ex lege Julia servatur, ut cui necesse est ab adultero incipere, quia mulier ante denuntiationem nupsit, non aliàs ad mulierem possit pervenire, nisi reum peregerit.] Utrumque habetur *l.* 17. §. 6. *ff. h. t.* ibi. [Exspectabit itaque mulier sententiam de adultero latam. Si absolutus fuerit, mulier per eum vincet, nec ultrà accusari potest. Si condemnatus fuerit, mulier non est condemnata, sed aget causam suam, fortassis & obtinere, vel gratiâ, vel justitiâ, vel legis auxilio possit. Quid enim si adulter inimicitiis oppressus est, vel falsis argumentis, testibusque subornatis &c.]

His tamen addenda est exceptio, quæ habetur *lege* 15. §. 8. *ff. h. t.* [Si in viduitate mulier perseverat, in accusatoris est arbitrio, à quo velit incipere, utrum ab adultero, an ab adultera.]

108. Quæritur IX. Quænam bona lucretur maritus per uxoris adulterium, & econtra. R. Lucrari dotem, & contradotem, sed non alia bona, v. g. paraphernalia, etiamsi horum administratio penes maritum esset. De hac pœna, & ejus extensione sic statuitur *Nov.* 117. *c.* 8. §. 2. ibi. [Si hujusmodi accusatio vera esse ostenditur, tunc habere virum super antenuptias donationem etiam dotem: & ad hoc si filios non habeat, tantum accipere ex alia uxoris substantia, quantum dotis tertia pars esse cognoscitur, (*& hanc poterit accipere ex paraphernalibus*) ut ejus proprietati & dos, & à nobis definita pœna applicetur. Si enim filios habuerit ex eodem matrimonio, jubemus etiam dotem (secundùm quod de hoc censent leges) aliamque mulieris substantiam filiis conservari: & ità adulterum legitimè convictum unà cum uxore puniri: & si quidem habeat uxorem adulter, (*ubi cave erroremin recentibus exemplaribus, quæ habent adulteram:*) accipere eam & dotem propriam, & propter nuptias donationem: & si filios habeat, solo usu mulier fruatur, donationis proprietate secundùm leges filiis servandâ: aliam verò mariti substantiam ejus filiis ex nostra largitate donamus. Filiis autem non existentibus, antenuptialis quidem donationis proprietatem mulieri competere sancimus, aliam verò mariti substantiam omnem fisco secundùm antiquas applicamus leges.]

109. Quæritur X. An Vidua perdat dotem propter stuprum in viduitate commissum. Affirmant plurimi, volentes eam cedere hæredibus defuncti mariti, sed rectiùs æquè multi & comuniter negant. AA. in utramque partem refert Cavallos *quæst.* 708. Colligitur ex Nov. 19. in fine. ubi propter stuprum intra annum luctûs commissum, mulier privatur antenuptiali donatione, & lucro, quod erat habitura ex bonis viri: ergo aliud dicendum de dote, quæ est proprium mulieris patrimonium. Adhuc meliùs probatur ex eo, quòd hujusmodi fornicatio non sit ex parte mulieris viduæ adulterium. Atqui amissio dotis est pœna adulterii: ergo &c. Et sanè nemo, quòd sciam, dixit, viduum amissurum donationem propter nuptias per fornicationem in viduitate commissam. atqui debent pari lege teneri vir & uxor, viduus & vidua. ergo &c.

110. Quæritur XI. De qua dote intelligenda sint, quæ dicta sunt de amissione dotis per adulterium. R. Esse intelligenda de dote adventitia, quæ propria est mulieris, non de profectitia, quæ dissoluto matrimonio ad patrem rediret, vel ad extraneum, qui ità stipulatus esset. Neque enim delictum filiæ debet nocere patri, ut constat ex suprà dictis in Contr. 5.

111. Quæritur XII. An, si Maritus non accusavit uxorem adulteram jure mariti, eo defuncto

functo possint accusare hæredes. ℟. Posse quidem hæredes accusare jure extranei, sed non jure mariti, & ad lucrandam dotem: quod est communiter receptum, si maritus scivit adulterium commissum, & non est conquestus. Quodsi ignoravit, tunc equidem multorum est sententia, posse hæredes accusare & ad lucrandam dotem agere. Ità post alios Covarr. relatus à Carpzovio *pract. Crim. p. 2. q. 65. n. 4.* Alii tamen probabiliùs etiam hoc negant, quos refert & sequitur Berlichius n. 13. Ratio est, quia hæc actio est ad vindictam injuriæ: atqui actio injuriarum nec activè nec passivè transit in hæredes, etiamsi mortuus ignoraverit, ut alibi dictum est.

Quæritur XIII. An maritus lucretur dotem, si & ipse adulterium commisit, quod ab uxore non est remissum. ℟. Si illud commisit, antequam dos sibi addicta est, delictum delicto compensatur. Quodsi post addictam sibi dotem commisit adulterium, non reviviscit ex parte uxoris actio ad dotem semel amissam.

112. Quæritur XIV. An maritus lucretur dotem, si uxor consentiente marito tacitè vel expressè, adulterium commisit. ℟. Negativè, quia facit se delicti participem. Unde mihi probabilis redditur illa sententia Theologorum contra P. Mart. Espartzam, & quosdâ alios, quòd in potestate mariti sit cedere jure suo, ità ut per adulterium illi injuria non fiat. Sanè adversarii hactenus non ostenderunt aliquem alium effectum, quem generat marito lex (ut ipsi putant) Divina, reddens mariti voluntatem inefficacem ad cedendum jure suo, sicut lex Civilis reddit inefficacem voluntatem minoris ad alienanda bona sua sine curatoris aut tutoris auctoritate. Confirmatur etiam ex eo, quòd apud omnes DD. indubitatum sit, posse conjugem innocentem reo injuriam condonare, & jus eam vindicandi penitus remittere, quod tamen non posset pupillus aut minor: Ergo etiam antecedenter posset cedere jure suo; ergo non est bona paritas desumpta ex pupillis aut minorennibus.

113. Quæritur XV. An lucretur dotem maritus, etiamsi post commissum adulterium exegerit debitum conjugale, habitâ jam adulterii notitiâ. ℟. Negativè, nam per talem cohabitationem censetur remisisse delictum & reconciliatus esse. Quodsi postmodum denuo adulteratetur mulier, non posset accusare de priore adulterio jam remisso, sed de secundo.

Quæritur XVI. An factâ separatione quoad thorum, teneatur maritus nihilominus alere uxorem. ℟. Affirmativè ex communi DD. teste Julio Claro n. 17. Ratio est, quia per divortium non desinit esse uxor. Quod tamen intelligendum puto, si fructus dotis sint sufficientes ad alendam adulteram: Sed quia hæc aliò spectant, non immoror; videatur post alios Berlichius, copiosè agens de amissione dotis per adulterium. Redeamus nunc ad ea quæ propria sunt hujus loci.

114. Quæritur XVII. An committatur adulterium accusabile, cum muliere maritata quidem, sed se passim prostituente. Multi negant. Rectiùs alii affirmant, per legem 13. §. 2. *ff. ad Leg. Jul. de adult.* [Sed & in ea uxore potest matitus adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit: quamvis si vidua esset, impunè in ea stuprum committeretur.] Huic textui contrarius videtur textus in lege 22. *C. eod. tit.* [Si ea, quæ stupro tibi cognita est, & passim venalem formam exhibuit, ac prostitutam meretricio more vulgò se præbuit, adulterii crimen in ea cessat.]

Mirum est, quàm varias conciliationes excogitaverint interpretes, quas refert, & meritò rejicit Carpzovius, quia non solùm sunt divinatoriæ, sed ipsis textuum verbis repugnantes: imò aliquæ vel ex eo sunt explosione dignæ, quòd supponant, per adulterium primum ità dissolvi vinculum matrimonii, ut non ampliùs sit uxor adultera; quo nihil potest dici indoctius. Sed nec Carpzovii conciliatio melior est, dum ait, legem ex Codice allatam dum dicit, adulterii crimen cessare, esse intelligendam, *adulterii pœnam cessare.* Verùm, hocipsum est in quo hæc lex videtur contraria alteri legi ex ff. adductæ, ubi dicitur, quòd maritus possit tale adulterium vindicare.

115. Ego prorsus censeo, legem Codicis habere hunc intellectum, (quem quidem non vidi ab aliis agnitum) quòd cum publicè prostituta peccans ideo excusetur â crimine adulterii, quòd præsumatur ignorâsse, esse conjugatam, sed potiùs judicâsse esse solutam meretricem. Nisi hoc dicamus, non possunt, meo judicio, illi textus ne quidem divinando conciliari.

Quod autem Carpzovius propugnat, talem adulterum esse mitiùs puniendum, & non communi pœnâ adulterii, mihi non probatur, quia jura hoc non probant, nec Ord. Crim. Carolina hoc habet, neque ulla ratio hoc convincit. Nam licèt graviùs peccet, qui alterius uxorem seducit, ex hoc tamen non infertur, talem non esse puniendum pœnâ ordinariâ, alioquin neque ille erit puniendus ordinariâ pœnâ, qui ad committendum adulterium ab alterius uxore sollicitatus fuit, sicut Josephus; nam tale peccatum etiam est theologicè non ità grave, sicut illius, qui aliam sollicitat, ob conjunctum scandalum.

Illud faciliùs concesserim, adulterii pœnam posse mitigari in illo conjuge, qui ab altero desertus fragilitate lapsus est: non tamen hoc puto extendendum cum Carpzovio ad complicem, qui cum tali adulterium commisit, hujus enim malitia non minuitur ex eo capite, quòd illa cum qua peccavit, deserta sit à marito, vel econtra.

116. Quæritur XVIII. An ille puniendus sit aut puniti possit pœnâ capitis & ultimi supplicii, qui adulterium judicialiter confessus est, correa autem persona seu complex id negat, vel fugâ se subducit, ut ejus confessio obtineri non possit. In hac Quæstione,

Si apicibus Juris insistere velimus, est satis clarus textus in lege 17. §. 6. *ff. h. t.* quem suprà retuli. ubi expresse dicitur, quòd adultero condemnato, non hocipso mulier sit condemnata aut convicta. Ergo supponitur, posse adulterum condemnari, etiam dum deficit confessio complicis. Ad hunc textum respondet Carpzovius, ità quidem tem se habere jure Digestorum, sed hoc mirum non esse, quia tunc adulteria non solebant, ex Imperatorum conniventia, plecti ultimo supplicio.

117. Si verò DD. opinionem consulam, video receptum esse, & in praxi observari contrarium, ut mitiori pœnâ puniatur talis confessus, nisi accedant indicia convincentia, v. g. si maritus longiore tempore absfuerit, quàm ut ab eo uterum uxor gerere possit, vel si constet de ejus insufficientibus viribus & valetudine &c. Quin etiam si alia essent argumenta, non quidem ità evidenter convincentia, moraliter tamen certa, tunc si illis accedat confessio unius, posse contra talem procedi ad ordinariam pœnam, DD. non diffitentur, per regulam, quam tradit Nicolaus Everhardus *in topic. n. 8.* Quòd in criminibus occultis, de quibus liquidò constare non potest, ut sunt furtum, & adulterium, conspiratio, &c. quæ occultè fieri consueverunt, sufficiant indicia & præsumptiones, propter probationis difficultatem, non solùm ut ad torturam perveniatur, verùm etiam ad ipsam condemnationem. Quæ sententia mihi verissima videtur, si complex se dolo subtraxit, nec citatus comparet, & ideo meritò pro confesso habetur, adeoque jam virtualiter & juris fictione habetur utriusque complicis confessio: ergo verè confessus poterit ordinariâ pœnâ puniri.

118. Hujusmodi autem indicia recensentur, 1. Si mas aliquis solus cum uxore aliena sola secreto & abdito in loco inventus sit. c. 12. *de præsumpt.* ibi. *viderunt multis locis secretis & latebris ad hoc commodis.* 2. si cum ea repertus fuit in cubilo clauso, ad coitum dispositus, muliere recusante aperire ostium. 3. si quis interdiu noctuque domum uxoris alienæ speciosæ frequentare solitus, & in ipsam domum ab ea clàm admissus fuerit. 4. si in ejusdem domo occultatus fuerit inventus. 5. si cum illa visus sit per nemora, & vias occultas spatiari, ipsam deosculari, lascivis amplexibus circumplicare. c. 13. de præsumpt. ibi. *eos insimul viderant per plana & nemora, vias, invia, pluries convagantes.* Hæc & similia, etsi, seclusâ confessione unius, solùm sufficerent ad torturam, accedente tamen confessione, volunt communiùs DD. (quidquid Carpzovio placeat praxis VVittebergensium & Lipsiensium) sufficere, ut ad pœnam ordinariam procedi possit. Et sanè ipse Carpzovius fatetur, *q. 60. n. 39.* quòd, quando confessio facta est in tortura, adeoque vestita est indiciis sufficientibus ad torturam, possit procedi ad pœnam ultimi supplicii, unde non video, cur hoc negetur, si reus ad declinandam fortè torturam, aut aliàs ad tranquillandam conscientiam crimen fateatur. Cùm spontanea confessio longè plus fidei mereatur, quàm violenter extorta.

119. Quæritur XIX. Si fortè Judex mitigat pœnam uni complici ex speciali causa ipsum concernente, v. g. quia ejus uxor perpetuò ægrotat, nec potest, aut non vult reddere debitum, vel quia semiebrius fecit, aut ex simili causa, quæ minuit gravitatem delicti, dicente S. Aug. ca 27. q. 2. *Si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.* An inquam hoc ipso etiam complici nullam cæteroquin habente causam excusantem, censeatur remissa pœna ordinaria. Affirmat Carpzov. q. 61. n. 27. ex eo, quòd in *l.* 17. §. 6. sæpè citato dicatur, absoluto adultero etiam fæminam absolvi. Verùm, inde non valet argumentatio ad quæstionem præsentem, ubi non absolvitur tanquam innocens, sed ex speciali causa mitigatur illi pœna. Alioquin sequeretur, quòd, si illi mitigaretur ex eo, quòd ab altera parte fuerit vehementer concitatus, v. g. per poculum amatorium, etiam mitiganda esset pœna sollicitanti, quod mihi absurdissimum videtur, nam ex delicto lucrum reportaret.

120. Quæritur XX. An intuitu Dignitatis & Nobilitatis mitiganda sit pœna, ubi non est pœna ordinaria statuta pro Nobilibus in specie, prout Statuta Bavarica constituunt. Affirmat Bartolus, Alciatus, Tiraquellus, apud Carpz. *q. 62. n. 1.* Rectiùs tamen alii negant. Nam ubi Jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus. Et, nisi fallor, Nobiles deberent potiùs graviori pœnâ absterreri ab adulterio, quàm plebeji, cùm apud illos non solùm sit magis indecens, sed etiam majus periculum. Quamvis non putem, esse pœnam materialiter augendam. Sufficit enim quòd in effectu augeatur formaliter & moraliter, etiam dum ordinariâ pœnâ plectuntur. Nam omnis pœnâ (Exceptâ pecuniariâ) est gravior in nobili quàm in ignobili, quia durius accidit nobili incarcerari, quàm ignobili, & sic de aliis.

121. Objici solet illud Brocardicum, & vulgare, quòd Nobiles, divites, & digniores mitiùs puniendi sint, quàm ignobiles, pauperes, & vilioris conditionis homines. pro quo adducunt textũ ex lege 4. §. 1. *ff. de incendio, ruina &c.* ubi hujusmodi discrimina assignantur. [liberos quidem fustibus cæsos triennium relegabis, aut si sordidiores erunt, in opus publicum ejusdem temporis dabis: servos flagellis cæsos in metallum damnabis: liberos fustibus, servas flagellis cæsas dimittere poteris, & omnino ut in cæteris, ità hujusmodi causis ex personarum conditione & rerum qualitate diligenter sunt æstimandæ, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quàm causa postulabit.] Respondent communiter DD. illud axioma esse intelligendum, quando delicto non est constituta pœna ordinaria à lege, sed arbitrio Judicis relinquitur. Quæ responsio confirmatur ex dictis: nam licèt hoc modo sit materialis pœnæ diversitas, formaliter tamen & moraliter est æquivalens. nam fustigatio (ut insistam legis adductæ exemplo) utique tam est ignominiosa homini libero, quàm servo est flagellatio, & religatio nobili quàm ignobili damnatio ad viles labores, & sic de alijs. Deinde addi potest, hoc esse intelligendum in illis delictis, quæ non fiunt facilius & frequentius à nobilibus quàm ignobilibus, & ubi non est necesse, magis absterreri nobiles quàm ignobiles, item quando delictum non est in nobilibus tam periculosum & pernitiosum Reipublicæ, si mitiùs puniatur, quàm esset in plebeijs. v g. delictum in jaculatione ferarum in sylvis Principum, ubi est graviter prohibita: nam nobiles non tam lucri quàm oblectationis gratiâ facere solent, econtra plebeij lucrandi gratiâ, & ideo non solùm gravius nocent directè, sed etiam indirectè, negligendo functiones domi obeundas in bonum Reipublicæ, & ad quas sunt ex sua conditione destinati, qui debent ab hujusmodi periculosa & otiosa occupatione magis absterreri.]

122. Quæritur XXI. Quomodo Clerici in foro Ecclesiastico sint puniendi pro adulterio commisso. ℟. Si Clericus crimen neget, defertur illi purgatio canonica: (si sit famâ vel indicijs gravatus) & si se purgare non potest, suspenditur ab ordinum exercitio. *cap. 5. de adult.* ibi. [Prædicto autem Sacerdoti &c. purgationem indicas', quem, si purgare se poterit, in officio suo ministrare permittas: alioquin ab officio suo ipsum suspendere non postponas.] De convicto autem vel confesso, extat can. 10. dist. 81. [Si quis Clericus adulterâsse aut confessus aut convictus fuerit, depositus ab officio, communione concessâ, in monasterio toto vitæ suæ tempore detrudatur.] & can: seq. [Romanus Clericus crimine adulterij, quod admisisse perhibetur, à Clericatûs ordine depositus in monasterio hîc in urbe Romana ad agendam pœnitentiam ex nostra jussione detrusus est.] In terris Acatholicorum, eorum Pastores (ut vocant) pœnâ gladij puniuntur, & meritò, quia Clerici non sunt, adeòque pœnæ Depositionis incapaces, Laico Magistratui, utpote puri laici, sicut alij subjecti. Casum & Judicium Scabinorum de hujusmodi Pastore 69. annorum, Laudat Carpzovius. *q. 62. n.* 24. & laude dignum est. Sicut & illud quo dictârunt pœnam gladij adultero 87. annorum, qui ancillam suam impregnavit, ut ibid. refertur n. 47. unde colligo, puniri etiam ordinariâ pœnâ adulterium commissum à marito cum soluta, quod tamen Carpzovius superiùs negaverat esse adulterium.

123. Quæritur XXII. An minoribus pubertatem adeptis, possit ob adulterium infligi pœna ordinaria. Negant aliqui, volentes esse commiseratione dignos. Sed, meo judicio, hæc non esset commiseratio, sed conniventia reprehensibilis, nisi aliquæ circumstantiæ interverint, veluti, si à mulieribus vehementer ad flagitium essent sollicitati, & fortè etiam aliquo timore adacti. & tunc res arbitrio Judicis ponderanda relinquitur. quod etiam est conforme Ordinationi Carolinæ, ubi art. 179. hoc Judici permittitur, adhibito peritorum prudentum consilio, prout monentur Judices in fine illius Ordinationis.

124. Quæritur XXIII. An ob multiplicatum adulterium, sive cum eadem, sive cum diversa persona, debeat exasperari pœna ultimi supplicij, quæ cùm multiplicari non possit, exasperari tamen potest, ut fit in atrocissimis delictis', quando rei super imponuntur trahæ, ut sic ad supplicij locum trahantur, item quando candenti forcipe ustulantur brachia, amputatur priùs manus &c. ℟. Ex communi DD. hoc in adulterio multiplicato non reperiri statutum. Si tamen pœna pecuniaria est statuta, non dubito, quin illa augeri possit. Quodsi unum adulterium jam punitum est pœnâ mitiore, & talis redeat, secundùm statuta Bavarica pœna exasperatur, donec ad ultimum supplicium perveniatur, prout retuli loco suprà citato. Videantur etiam quæ suprà dixi de multiplicatione delictorum momentaneorum ad multiplicandam vel augendam pœnam, & iterum seq. tractatu prope finem, de cumulatione pœnarum. Quod autem hîc dicit Carpzovius Adulterium numerari inter delicta successiva, etiam cum diversis personis iteratum, mihi non probatur.

Assassinium.

SUMMARIUM.

AN & ex quo capite Assassinium sit gravius homicidio facto ex ira vel odio. 125.
Quâ pœnâ Assassinij afficiantur. 126.
De Jure Civili non est certa pœna statuta. 127.
Qualis conatus sufficiat, morte non secutâ. 128.

125. Quid sit Delictum Assassinij, & de ejus Ecclesiastica pœna privationis asyli, seu immunitatis fugientium ad locum sacrum, explicui tract. præcedente. Nunc de alijs ad hoc delictum spectantibus agendum est.

Quæritur ergo I. An, & ex quo capite Assassinium sit gravius homicidio simplici ex ira vel odio facto. ℟. Esse gravius ex eo capite, quòd sit magis voluntarium quàm illud, quod fit ex prædominante odio & impetu vindictæ. Declaratur ex illis quæ tradidi in opere Theologico lib. 2. agens de Voluntario: ubi tradunt Theologi, quòd metus mali imminentis reddat actionem involuntariam secundùm quid, cùm econtra actio ex concupiscentia, seu lucro, potiùs augeat voluntarium. Jam verò, qui occidit ex odio, id facit ad leniendum dolorem animi, & avertendum à se aliquod malum; at verò qui occidit ob acceptam pecuniam, vel spe illius accipiendæ à mandante & promittente, operatur ex amore lucri. Quòd autem gravius etiam civiliter reputetur, occidere amore lucri quàm ex odio, colligunt Legistæ ex lege 39. ubi talis casus habetur de muliere occidente partum. [Cicero in oratione pro Clu. au. scripsit, Milesiam quandam mulierem cùm esset in Asia, quòd ab hæredibus secundis acceptâ pecuniâ partum medicamentis sibi ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam. Sed & si quæ visceribus suis post divortium, quòd prægnans fuit, vim intulerit, ne jam inimico marito filium procrearet, ut temporali exilio coërceatur, ab optimis Imperatoribus nostris rescriptum est.]

Dices. Ratio allata non procedit in mandante (Assassinatore vocari soliro) qui ex odio mandat, & tamen punitur ut Assassinus. ℟. Ideo puniri, quia facit se Assassinii participem, & si non essent mandantes, non essent mandatarii, adeoque nec Assassinii propriè dicti.

126. Quæritur II. Quâ pœnâ hi Assassinatores aut Assassini afficiantur. ℟. In Jure Canonico c. 1. *de Homic. in 6.* de Assassinatore sic statuitur §. 3. *in Conc. Lugdun. sub Innoc. IV.* quo tempore maximè grassabantur Assassini gentiles. [Sacri approbatione Concilii statuimus, ut quicunque Princeps, Prælatus, seu quævis alia Ecclesiastica sæcularisve persona, quempiam Christianorum per prædictos Assassinos interfici fecerit, vel etiam mandârit (quanquam mors ex hoc forsan non sequatur) aut eos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit, excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio & beneficio incurrat sententias ipso facto: & illâ liberè alijs per illos (ad quos eorum collatio pertinet) conferantur: Sit etiam cum suis bonis omnibus tanquam Christianæ Religionis æmulus, à toto Christiano populo perpetuò diffidatus (*hoc est, ut impunè occidi possit à quovis*) & postquâ probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis adversùs eum sententia requiratur.] Neque refert, quòd textus loquatur de illis, qui gentilium operâ occidunt, nam per Christianum occidere est adhuc execrabilius, & adhuc militat ratio allata illis verbis. *tamquam Christianæ religionis æmulus.*

127. In Jure Cæsareo nulla exstat specialis pœna in Assassinos aut Assassinatores constituta, ne quidem in Ordinatione Criminali Carolina. Unde, teste Carpzovio pro more cujusvis Regionis ea multùm variatur. Alicubi enim ad locum supplicii perrahuntur per caudam equi, si exilioris conditionis homo per assassinium peremptus est; honestiore occiso, vel Reipublicæ utili personâ, Rotâ tunduntur: aliquando præmittitur insuper ustulatio, si fortè vis publica concurrebat: aliquando in frusta reus scinditur, postquam furcâ suspensus, vel alio supplicio peremptus est: alicubi, ut in Saxonia, Assassinator gladio plexus rotæ in altum erectæ infigitur: ipse verò executor, seu assassinus rotæ supplicio afficitur, prout ex Const. Carol. latrones.

128. Quæritur III. An, & qualis conatus sufficiat ad pœnam assassinii, esto mors non sit secuta. Et quidem Jure Canonico pœna statuta assassinatori locum habet, quando solum mandatum datum est, nullo alio conatu requisito, quod tamen DD. restringunt ad mandantem infideli, ex illorum hominum corpore, qui originaliter assassini dicti fuerunt. Quoad ultimum supplicium verò in hodiernis assassinis & assassinatoribus DD. non satis conveniunt. Aliqui enim putant, sufficere in assassino actum aliquem remotum, v. g. si accinctus exspectet in loco occidendum. Sed benignior est sententia aliorum, qui volunt, pœnam ordinariam tunc imponi posse, quando deventum est ad actum & conatum proximum, per assultum; pro qua sententia

tentia citat Carpzovius Julium Clarum *in §. fin. q. 92. n. 2. in fine.* Sed certè Clarus habet aliam, & mitissimam opinionem, nempe, quòd nisi lex aut statutum specialiter mandet puniri conatum pœnâ ordinariâ, non sit reus puniendus, nisi effectu secuto. Verba illius sunt. [Regulariter autem non debet Judex conatum impunitum relinquere, sed semper aliquam pœnam extra ordinem infligere. Et nota, quòd in illis casibus, in quibus ille, qui devenit ad actum proximum, non potest puniri pœnâ ordinariâ: debet tamen acriùs puniri pro motu Judicis quàm ille, qui devenit ad actum remotum. Et ità tenet consuetudo.] Et hæc sententia fuit nuper observata Abensperge in Bavaria, ubi post incussum terrorem de pœna gladii, virgarum pœnâ & aurium abscissione, punitus est Assassinus, quia mors non fuit ad percussionem secuta, prout jam secutam esse ipse assassinus putabat.

129. Cæterùm, communior est sententia, conatum & actum proximum in Assassinatore posse puniri pœnâ ordinariâ, & hoc propter atrocitatem hujus delicti, ut aliis relatis tradit Deciânus *lib. 9. c. 30. n. 13.* qui addit, hoc totum residere in arbitrio Judicis, quia poterit conatum punire & morte, & mitiore pœnâ, si voluerit. De mandatario verò subjungit, esse puniendum pœnâ ordinariâ, ob actum proximum consummationi, qui debet continere aliquem insultum & offensam, & per consequens, secundùm hunc Auctorem non sufficeret, si assassinus in loco destinato stetisset cum scloperto, exspectans transitum occidendi, qui tamen casu non transiit, quod videtur probabile, etsi contrarium teneat Baldus, nec improbet Carpzovius.

Bestialitas. vide, Sodomia.

Bigamia.

SVMMARIVM.

IN quonam consistat delictum Bigamiæ. 130.
Quâ pœnâ sit afficiendus Bigamus, Bigama. 131.
Quæ pœna sit constituta in Jure Civili. 132.
An cesset pœna adulterij, si ex culpabili ignorantia superinducatur viventi conjugi. 133.
Quæ certitudo mortis requiratur, ut admittatur novum matrimonium. 134.
An moralem certitudinem possit facere unus testis. 135.
Quâ pœnâ afficienda, quæ sine conjuge existens contrahit cum bigamo, vel econtra. 136.
Quid sentiendum de legibus statuentibus certum tempus exspectandi conjugem. 137.
An sit ut bigamus puniendus, qui cognità posteriore priorem non cognovit. 138.

130. DElictum Bigamiæ consistit in eo, quòd vir aut uxor vivente conjuge alteri se matrimonio jungere conatur, & quantùm in se est alium conjugem superinducit in lege Evangelica, sive priorem à se removeat, sive non: nam Polygamia in nova lege locum non habet, ut ex divina dispensatione licuit antiquis PP. ob generis humani propagandi necessitatem, definiente Conc. Tridentino sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullâ divinâ lege esse prohibitum, anathema sit.* Extat autem præceptum Christi Matth. 19. v. 9. & *Marci. 10. n. 11.* Et hoc delictum gravius esse adulterio, observat Ordinario Crim. Caroli V. a. 121. & ratio est, quia talis quantùm in se est, vult perdurare in adulterio, & affectum conjugalem vel omnino à priore avertere, & jus in corpus suum alteri tradere, vel certè dividere in plures, & unius jus diminuere.

131. Quæritur. I. Quâ pœnâ sit afficiendus Bigamus, vel Bigama. ℟. In Ordinat. Criminali Caroli V. a. 121. statuitur esse pœnâ capitali afficiendum. Circa quam ordinationem dubitârunt aliqui, an satisfieret huic Ordinationi per deportationem: nam suprà diximus, hanc quoque esse pœnam capitalem, & ibidem diximus, quòd statuto requirenti pœnam capitalem in genere, satisfieret per deportationem. Nihilominus communiter Interpretes censent, & ità observatur, intelligi pœnam gladii, quia æquiparatur, imò præfertur hoc delictum adulterio. Deinde constat hoc ex solo contextu: nam postquam Imperator dixisset, leges Cæsareas quidem huic delicto non imposuisse pœnam mortis, subjungit deinde: nos tamen volumus, ut qui hoc crimen dolosè sciens volens illi causam dando perfecerit, non minùs quàm adulteri capitali pœnâ puniri debeant. Cùm ergo adulterium velit puniri pœnâ mortis, idem utique vult de bigamia. Et hanc Ordinationem sequitur etiam Jus Bavaricum. In eadem Ordinatione ponderandum est illud verbum: *Perfecerit.* quod aliqui voluerunt intelligendum, de conjunctione facta in facie Ecclesiæ, cum benedictione. Verùm, communiter alii intelligunt de carnali consummatione, quæ nisi intercesserit, nondum censetur perfectum delictum bigamiæ.

132. Quænam autem pœna sit constituta in Jure Civili, mirè variant DD. ob varios textus non satis expressos. Verior est opinio, quam tuetur Carpzovius, esse puniendum eodem modo quo adulterium. Adeoque bigamus esset puniendus pœnâ mortis, bigama verò fustiganda & in monasterium detrudenda: quæ sententia fundatur in Novella 117. c. 11. *v. si autem præter hanc.* ibi. *Et ipsa, & qui ducit eam uxorem, velut adulteri puniantur.* Et in Auth. *Hodie. C. de repud.* ibi. *Si verò præter hæc nupserit, tam ipsa, quàm qui eam duxerit, velut adulteri puniantur.* Quibus Juribus correctum est, quod habetur *l. 18. C. ad L. Jul. de adult.* ubi sola pœna stupri imponitur bigamis, hoc est, publicatio dimidiæ partis bonorum in personis honestis, in vilioribus verò castigatio corporis cum relegatione.

133. Ex relatis verbis Ordinationis Criminalis etiam colligitur, pœnam adulterii cessare, quando quis vel quæ superinduxit conjugem ignorans priorem vivere: & quidem si esset ignorantia inculpabilis, fundata in argumentis sufficienter probantibus mortem prioris conjugis, tunc nullam utique pœnam mereretur. Si verò ignorantia esset affectata, vel supina, vel si adessent argumenta suadentia & fundantia præsumptionem scientiæ, quæ non eliderentur, puniendus quidem esset, sed mitiore pœnâ: nam Ordinatio requirit dolum & scientiam, & in casu occurrente se consuluisse asserit Berlichius n. 51. ut talis puniretur pœnâ carceris vel temporalis relegationis, ob negligentiam commissam in inquirendo conjuge. Quomodo autem ignorantia probanda sit, alibi dictum est, & deficientibus aliis probationibus potetit Juramentum deferri.

134. Quanta autem certitudo requiratur, ut admittatur novum Matrimonium, non est hujus loci. tractant de eo Theologi in tract. de Matrimonio, Sanch. *l. 2. disp. 46. n. 5.* ubi refert quosdam DD. facientes discrimen inter facultatem contrahendi propriâ auctoritate, & inter facultatem præbendam à Judice. Ad priorem putant sufficere verisimilitudinem & probabilitatem prudentem, etsi non omnino certam. pro quo adducunt cani *cum per bellicum. 34. q. 2.* ibi. *Nec tamen culpabilis judicetur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimatur, assumpsit. & cap. quoniam. §. porro. ut lite non contest.* ibi. *Si autem de carnali conjugio sit agendum, tamdiu alteruter conjugum exspectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur.* Ut autem Judex possit concedere facultatem, requirunt moralem certitudinem. & hoc probant ex cap. *In præsentia. de sponsalibus.* ibi. [Nec permittas eos auctoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.]

Verùm, sine distinctione respondendum est, & ex hoc ipso textu clarè constat, eandem certitudinem requiri, ut propriâ auctoritate possit novum matrimonium contrahi: nam ibidem expressè dicitur: *Non possunt tales ad aliorum consortium convolare.* quæ verba connectenda sunt cum sequentibus: *donec certum nuntium accipiant.* Deinde in *cap. 2. de secundis nuptiis*, ità habetur. [Ut nullus ammodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus.] Ratio hujus reddi potest. Nam, sicut Theologi docent, quòd nemo possit uti occultâ compensatione pro debito incerto, quantumvis probabili, quia probabilitas non sufficit ad spoliandum alterum suâ possessione, & Jure quæsito, ità nec sufficiet, ut conjux privetur Jure quæsito in corpore conjugis, donec constet, illud Jus esse extinctum. Unde ad capitula in contrarium allata respondendum est, ea loqui non de quacunque existimatione & verisimilitudine formidolosa, seu formidinem oppositi admittente, sed de moraliter certa, & prudentem formidinem excludente. Et hæc est communis Theologorum interpretatio.

135. Hujusmodi moralem certitudinem potest facere etiam unicus testis omni exceptione major, si juvetur aliis adminiculis quæ fidem ejus augeant, ut moraliter certum reputetur. eum de veritate testari: præsertim si major certitudo haberi non potest, ut est casus in cit. cap. ubi sermo est de maritis, qui causâ captivitatis vel peregrinationis septennio aberant, de quorum vita vel morte non poterant aliter certificari, & tunc dicitur sufficere certus nuntius, id est fide dignus, ut interpretatur Gutierez *de Matr. c. 51. n. 2.* & cum eo Palao.

Pari modo, si fama aliis adminiculis juvetur, & de ea duo testes fide digni testentur, etiam sufficiet: v. g. si fama sit, occubuisse in bello, vel in loco valde distanti, & fortè fuerit senex, vel æger: si non rediit, cùm se rediturum significavit & promisit, ut tradit glossa *in c. quoniam frequenter. v. præsumatur. ut lite non con.* sed de hoc videri possunt plura apud Mascardum, & Prosp. Farinac. *p. 4. pr. q. 140. tit. 16.* Covarr. *de Sponsal. p. 2. c. 7. §. 3.*

136. Quæritur II. Quâ pœnâ afficiendus sit ille, qui cum bigama, vel econtra illa quæ cum bigamo contrahit, quando talis non est bigamus, quia nullam aliam habet conjugem, sed contrahit cum habente conjugem. ℟. Talem non esse puniendum, ut bigamum, nisi statutum vel lex etiam velleret ità puniri, sed esse puniendum, ut adulterum vel adulteram: adeoque ubi solet adulterium mitiùs quàm pœnâ mortis puniri, hac moderatione etiam talis gaudebit.

137. Quæritur III. Quid sentiendum de legibus civilibus statuentibus certum tempus, v. g. quadriennium, quinquennium, decennium, quo si exspectaverit mulier, nec maritus redierit, possit nubere. ℟. Eas esse abrogatas per

per *Nov.* 117. c. 11. & Auth. Hodie *C. de repudiis.* ubi sancitur, ut mulier virum suum tamdiu quamdiu ille vixerit, exspectet, nec aliter aut antè nubere possit, etiamsi nec litteras nec responsum ab eo acceperit, non obstante quacunque longâ absentiâ. Si verò eum mortuum esse audiverit, debet vel per se, vel per suos parentes, vel per alios, Ducem belli, vel militiæ chartularios accedere, & ab eis juratum testimonium de morte viri afferre.

Porrò, forma probandi mortem mariti præscripta in dicta Novella c. 21. *& Auth. cit.* est per Jus Canonicum correcta, quo potest mariti mors etiam aliis modis quàm per Ducem belli, chartularios, Juramento exacto, probari, ut paulò antè dictum est.

138. Quæritur IV. An tanquam Bigamus puniendus sit, qui duas duxit, sed priorem non cognovit carnaliter, posteriorem verò cognovit. Berlichius, n. 56. & Carpzovius n. 21. volunt esse puniendum pœnâ stupri. per *legem* 18. *C. ad L. Jul. de adult.* ubi dicitur. [Veruntamen, ei qui te, ficto cælibatu, cùm aliam matrem familias in provincia reliquisset, sollicitavit ad nuptias, etiam crimen stupri, à quo tu remota es, quòd uxorem te esse credebas, ab accusatore legitimo solenniter inferetur.] Ego tamen censeo, talem reverâ bigamum esse, & adulterum: nam reverâ superinduxit alteram uxorem, & fictum matrimonium perfecit. Neque multùm laborandum est in explicanda hac lege, quando res ipsa clara est. Nihilominus brevis & facilis responsio est, quòd lex Julia de Adulteriis verbo *stupri*, indifferenter utatur etiam pro adulterio, ut habetur lege 101. ff. de V. S. & in *lege* 6. §. 1. *ff. eod.* expressè dicitur: *Lex stuprum & adulterium promiscuè & abusivè appellat.* Itaque in adducta lege sumitur in hac generali significatione, neque tamen negatur, illius casùs delictum non esse puniendum pœnâ bigamiæ, vel adulterii, ut consideranti facilè patet.

Blasphemia.

SVMMARIVM.

B*Lasphemia est crimen Læsæ Majest. divinæ.* 139. *Ejus definitio. eod.*
An de Essentia Blasphemiæ sit, ut verba prolata contineant formalem falsitatem. 140.
An Blasphemia committi possit in Sanctos. 141.
Quomodo differant Blasphemia Hæreticalis, & non Hæreticalis. 142. *& seq.*
An audientes blasphemiam obligentur ex jure positivo ad corrigendum, vel denuntiandum. 144. *& seq.*
Quæ pœna sit blasphemis statuta Jure Canonico. 146. *& seqq.*
An ad evitandas pœnas sufficiat, in continenti revocare. 149.
Quæ pœnæ sint constitutæ Jure Cæsareo. 150.
Redarguitur temeritas Carpzovii. 151.
Item Hallucinatio Berlichii. 152.
Quid Jure Bavarico constitutum sit. 153.
Conclusio generalis, quinam sint Blasphemi. 154.

139 BLasphemia est Crimen Læsæ Majestatis divinæ, opponiturque contrariè Laudi divinæ. Unde sicut Laus divina non fit propriè nisi vel mentis affectu, vel ore, vel Scripturâ formali vel æquivalenti, (qualis est pictura) ità & Blasphemia, quæ proinde in puro facto non consistit, unde qui crucifixum conspueret, absque verbis, sicut Judæi Christum, non esset propriè blasphemus, sed sacrilegi reus.

Definitur Blasphemia ex S. Augustino *lib.* 2. *de Moribus. Manich. c.* 11. Malum verbum de Deo dictum: seu ut alii: Dictum contumeliosum in Majestatem divinam. In præsenti solùm de Blasphemia externa agendum est, quæ sola ad externa Judicia pertinet.

140. Quæritur I. An de essentia Blasphemiæ sit, ut verba prolata contineant formalem falsitatem. R. Non esse necesse; ut formaliter falsa sint, hoc est directè difformia objecto. Nam, ut Theologi advertunt, committitur blasphemia irreverenter nominando membra Christi, in quibus verbis non apparet formalis falsitas: item si quis verbis declaret desiderium suum, quo malum vel imperfectionem aliquam Deo desiderat, v. g. dicendo: utinam Deus esset injustus: utinam nihil sciret de peccatis hominum: nam hujusmodi verbis convenit tota definitio blasphemiæ, cùm sint contumeliosum dictum in divinam Majestatem, non minùs quàm si quis diceret: *utinam Cæsar in nihilum redigeretur.* esset utique contumeliosus in Cæsarem: esto formaliter nihil falsi dixisset. Nihilominus etiam hujusmodi verbis in aliquo sensu potest dici inesse falsitas, quatenus apud audientes censetur loquens velle indirectè affirmare, Deum, vel Christi membra esse contemptibilia, & à loquente pro talibus haberi, adeoque jam videntur mentalem blasphemiam & falsitatem significare. & fortè non plùs vult S. Thomas, 2. 2. *q.* 13. *a.* 1. *in C. & ad* 1. *&* 3.

141. Quæritur II. An Blasphemia committi possit in Sanctos. R. Quando de Sanctis aliquid contumeliosum dicitur cum respectu ad Deum, & quatenus sunt amici & electi Dei, est propriè dicta Blasphemia, quia est ipsius Dei inhonoratio, sicut in Consiliarios Principis quà tales potest committi Crimen læsæ Majestatis. Quodsi verò aliquis dehonestaret Sanctum specificativè sumptum secundùm aliquas suas excellentias & perfectiones alias, absque respectu & Ordine ad Deum, & per inhonorationem oppositam cultui Duliæ præcisè, esset Blasphemia impropriè dicta, ut aliis relatis declarat Palao *tract.* 17. *d.* 1. *p.* 2. §. 1. *n.* 4. *&* §. 2. *n.* 4. Videatur de his Suarez *to.* 1. *de relig. tr.* 3. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 6. *& c.* 6. *in fine.*

142. Quæritur III. Quomodo differant Blasphemia Hæreticalis & non Hæreticalis. R. Hæreticalem esse, quæ expressè hæresin continet: nempe quà Deo tribuitur, quod ejus Bonitati & Majestati repugnat, vel negat perfectionem, quæ Deo competit, vel tribuit creaturæ, quæ soli Deo propria est. Hæc ergo blasphemia semper profertur assertivè: neque tamen est necesse, eam proferri animo hæretico, ut dicatur blasphemia hæreticalis, quamvis in foro externo præsumatur tali animo prolata, nisi ex circumstantiis aliud colligi possit, quia v.g. ex animi perturbatione protulit, quod Judicis arbitrio committendum monet Farinacius *l. b.* 1. *q.* 20. *n.* 38.

143. Hinc constat, quænam sit blasphemia non hæreticalis, nempe quæ nihil fidei contrarium formaliter & directè significat, v.g. imprecatio mali, irreverens nominatio in contemptum divinæ Majestatis. Unde inferunt DD. non fore blasphemiam hæreticalem, imò nullam, si quis dicat v.g. *Tam verum hoc est, quàm verè existit Deus in Cælo:* si non proferatur animo æquiparandi omnimodè certitudinem unam cum altera, quasi affirmando, unam alterâ non esse majorem, aut dignam firmiore assensu, sed solùm ad aliquam similitudinem tribuendam, prout communiter solet ab hominibus non malæ mentis proferri, dum dicunt. *Quam verè Deus vivit.* Aliud enim reipsâ non intendunt dicere, quàm rem sibi esse certam instar metaphysicæ evidentiæ, & se experiri necessitatem omnimodam ad asserendum, sicut ad asserendam vitam Dei.

144. Quæritur IV. An audientes blasphemiam habeant ex jure positivo aliquam obligationem corrigendi blasphemum, etiam absque spe emendationis: item obligationem denuntiandi. Dixi: *ex jure positivo.* Nam esse obligationem Charitatis naturalem corrigendi correctione fraternâ, si sit spes emendationis, est certum. Ad Quæsitum respondendo sciendum est, in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. sic statutum esse. *Quicunque blasphemantem audierint, eum acriter verbis objurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse contingat.* Quibus verbis videtur amplius quid, quàm mera fraterna & suavis correctio præcipi in reparationem læsi divini honoris, etiam absente spe emendationis. P. Castro Palao §. 4. *n.* 3. ait, dubium esse, an sit lata nova lex ultra legem naturalem. Posito autem quòd sit lata, censet, absente spe emendationis, decretum hoc consuetudine abrogatum esse, nec audientes adstringi nisi lege charitatis, & cum spe fructûs, quod etiam docent Azor, Sanch. Bonacina apud eundem.

145. In eodem Concilio & decreto mandatur audientibus, ut intra triduum blasphemantem denuntient, alioquin pœnis blasphemorum subdendos. Fatentur tamen DD. præmittendam esse correctionem fraternam, quâ si emendetur blasphemus, non erit opus denuntiatione, si enim finis emendationis obtineri potest suaviore & extrajudiciali remedio, non licet ad duriora procedere, quia emendandus est proximus cum minori quâ fieri potest, offensa & detrimento. Quodsi blasphemia est hæreticalis, denuntiatio facienda est Inquisitoribus hæreticæ pravitatis: si non est hæreticalis, tunc si blasphemus est laicus sæcularis, delictum est mixti fori, & potest denuntiari vel Episcopo vel Magistratui sæculari, cum jure præventionis.

146. Quæritur V. Quæ pœna sit in blasphemos Jure Canonico statuta. R. Eas varias esse; sed Suarez. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 3. ait, illas non esse usu receptas: quod tamen an sit universim verum, alii sciverint: si ergo pœna hæc Judicis Ecclesiastici arbitrio relicta sit, pro ejus informatione expedit nosse, quid olim statutum fuerit, ut inde cognoscere possit, quo rigore possit procedere.

Pius I. Ut refertur in *can. si quis per capillum.* 22. *q.* 1. sancivit, ut blasphemans in Ecclesiastico ordine constitutus deponatur: laicus anathematizetur. Hanc pœnam mitigavit postea Greg. IX. in *cap.* 2. *de Maledicis.* Decernens, ut si blasphemans à Judice Ecclesiastico deprehenditur, pluribus diebus Dominicis sine vestibus debeat poni ante januam Ecclesiarum, cum corri-